Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26346
Copyright: Admont, Benediktinerstift

et simplicitas unius cordis. Quam nobis omnibus unitatem cordis
tribuat ipse cui est facere unum. in presenti et in secula seculo-
rum. Amen. In circumcisione domini.

Postquam impleti sunt dies octo ut circumcide-
retur puer. uocatum est nomen eius ihc. Quod uocatum est ab
angelo. priusquam in utero conciperetur. Utinam impleantur
in nobis octo dies. et circumcidatur puer. et inueniatur uo-
cari in nobis ihc. Non enim sola dei uerba spiritualiter iucunda sint. sed
etiam ipsa facta. Quod illuminatio uirtutis dies appelletur. et
auctoritas docet. et ratio probat. Auctoritate. quia beatus Grego-
rius expositurus quod esset. unumquemque filiorum iob in die suo
conuiuium facere. ait. dies uniuscuiusque filii est illuminatio
uniuscuiusque uirtutis. Ratio idem ostendit. quia si lux que
exteriorem hominem irradiat. dies est uocata. a digniori
uirtus que interiorem hominem illuminat. dies est uocan-
da. Septem uero esse spiritus sancti uirtutes. nemo qui dubitet. Que
si fuerint in nobis implete. utique dies octauus imple-
bitur. in quo puer circumcidetur. Octauo enim die. uenerunt
circumcidere puerum. Implete quoque prius septem dies. illustrando
luce proprie discretionis. vii. uirtutes. Sapientia que prima
dicitur ne mentem extollat. dum eam de eternorum spe certitudi-
ne faciat. Intellectum. ne dum ea que sapit penetrat et
intelligit. ipsa sua leuitate oberret. et grauius corruat.
Consilium. ne dum rationes agendorum tractando preripit ad
inuenit. multiplicando confundat. Fortitudinem.
ne dum fiduciam prebet. precipitem faciat. Scientiam. ne dum